

enim tunc legislator, sive conditor canonis, legem a se latam postea revocare, veluti loco, tempori, et communi subditorum utilitati non convenientem; quia, si per tantum tempus, puta decennium, communiter observata non fuit, potius deserviret ad illaqueandas animas, et multiplicanda hominum peccata, contra can. *Erit autem lex*, dist. 4., et concordant dicta superius §. 1, num. 11.

107. *Solvuntur rationes in oppositum.* — Nec obstat quod in cit. cap. *Auditis, de Præscrip.* etc. *Cum Ecclesia, de Causæ possess.* cum similibus, ad præscribendum contra Ecclesiam requiratur spatium quadraginta annorum. Resp. enim ibi sermonem esse de præscriptione contra Ecclesias, sive bona immobilia Ecclesiarum, prout desumitur ex ipsomet textu; non autem de consuetudine contraria, seu de præscriptione contra leges ecclesiasticas, sive constitutiones pontificias. Alioquin enim, cum contra Romanam Ecclesiam non currat nisi centenaria præscriptio, c. *Ad audientiam*, 13, et c. *Cum vobis*, 14, de *Præscript.*; constitutiones papales non nisi sola centum annorum præscriptione, seu consuetudine in contrarium abrogari possent: quod est contra utramque præcedentem sententiam, communemque doctorum.

108. *Disparitas inter præscriptionem bonorum immobilium ecclesiæ, et inter consuetudinem contrariam legi.* — Accedit ratio disparitatis inter præscriptionem bonorum immobilium, vel jurium Ecclesiæ, et consuetudinem contrariam legi; nam, ut notat etiam Haunoldus, loc. cit. n. 134, per ejusmodi præscriptionem bonorum Ecclesiæ, si breviori tempore absolveretur, ipsamet Ecclesia plurimum damnificaretur in suis bonis, ac juribus, utpote quæ ipsi vi præscriptionis auferrentur; ac proinde, ne hac occasione egeretur Ecclesia in suis bonis ac juribus damnum sustinere, per leges fuit ipsi benigne provisum de longiori tempore, ad præscribendum contra eam requisito. Secus fit in abrogatione legis per contrariam consuetudinem, utpote quæ non minuit utilitatem, et commoda Ecclesiæ, aut bonorum vel jurium ejus; imo fit salva potestate, ac jurisdictione legislatoris, sive summi Pontificis, atque Ecclesiæ Romanæ: quinimo hujus tacitus, et legalis consensus semper simul intervenit in consuetudine contra legem inducenda, prout patebit ex dicendis n. 139, et seqq. Tacetur, quod inter consuetudinem contra legem, et inter præscriptio-

nem sit magna differentia, juxta dicta num. 23, et seqq. ac proinde textus de hac loquentes, male applicentur ad illam.

109. *Hæc tertia sententia non habet locum, ubi agitur de præjudicio tertii.* — Atque conformiter dictis potest responderi ad decisiones Rotæ, quadraginta dumtaxat annorum consuetudinem contra leges ecclesiasticas admittentis. Nam, quia coram hoc supremo Ecclesiæ tribunali partes litigantes non nisi de proprio, aut Ecclesiarum sibi commissarum præjudicio vitando, litigare consueverunt (de nuda enim derogatione legis per consuetudinem contrariam, hujusque validitate, non facile quis tantis sumptibus litigaret, nisi simul privatum interesse concurreret) hinc dicendum memoratas Rotæ decisiones procedere in illis casibus, ubi simul agitur de præjudicio tertii, vel alicujus Ecclesiæ particularis, aut alterius loci sacri: quia, postquam semel per legem conditam huic jus fuit quæsitum, istud non per simplicem abrogationem legis, sed per veram dumtaxat præscriptionem elidi potest; qualis contra Ecclesias, aliaque pia loca non nisi quadraginta annis completur, cit. c. *Auditis, de Præscription.* cum similibus. Accedit, quod stante longa consuetudine contra legem communiter vigente ipsemet legislator censeatur legem revocare veluti destitutam sine suo, et communitati non convenientem; non tamen præjudicare juri tertii jam quæsito. Atque hinc in simili Abbas, in cap. ult. n. 14, de *Consuetud.* et Sperellus, decis. 89. *Fori ecclesiast.*, n. 23, et 25, et seqq. licet concedant consuetudinem præter jus posse induci decennio: illico tamen hoc limitant, requiruntque tempus quadraginta annorum, quando inde resultaret præjudicium tertii, puta, ad detrahendum juri alicujus ecclesiæ. Concordat Mascardus concl. 424, num. 36 et 37, ubi pari modo distinguit inter consuetudinem non detrahentem juri tertii, ad quam sciente principe inductam (inquit) sufficiat probare decennium: et eam, quæ detrahit juri tertii, puta alicujus Ecclesiæ, ac requirit probationem quadraginta annorum. Et merito: nam ubi agitur de tollendo juri uni, et acquirendo alteri, dicitur præscriptio, non autem consuetudo; haud obstante, quod termini isti non raro promiscue adhibeantur. Card. de Luca, de *Jurisdictione, et foro competentis*, discurs. 34, n. 28, cum aliis

§ V.

DE ALIIS AD CONSUETUDINEM INDUCENDAM REQUISITIS.

110. *Consuetudo nequit induci ab una tantum persona, nec a familia imperfecta.* — Quæritur I. Per quos possit, vel non possit induci consuetudo? Resp. I. Consuetudo nequit induci ab una tantum persona, neque ab aliqua communitate imperfecta; ut est familia privata: Ita communis; et ratio est, quia consuetudo est jus scriptum habetque vim legis; ergo nequit introduci ab una dumtaxat particulari persona, vel familia: hæc enim, licet sit capax simplicis præcepti, expirantis in morte præcipientis, v. g. patrisfamilias, pro recta gubernatione domus quædam ordinatio, non tamen est capax legis, utpote quæ est commune præceptum, l. 1, ff. *de Legib.* ac durat etiam post mortem legislatoris in perpetuum, nisi revocetur. Et hinc supra num. 23, inter alia dictum fuit, consuetudinem per hoc substantiaiter differre a præscriptione, quod hæc possit induci a particularibus personis; non item consuetudo.

111. *Sed solum a familia perfecta.* — Resp. II. Consuetudo potest induci solummodo a familia perfecta; qualis est ea, quæ capax est potestatis legislativæ pro propriis subditis, aut saltem legis recipiendæ, quatenus vel ipsa pro suis subditis potest leges, sive statuta facere; vel saltem ipsi lex imponi potest. Prior pars sequitur ex proxime dictis: Et hinc l. *De quibus*, et l. *Cum de consuetudine*, et seqq. ff. *de Legib.* consuetudo non nisi a populo, civitate, sive tacito civium consensu, aut a concilio, sive judicio, quod representat mentem populi, inducta legitur.

112. *Quæ vel habet potestatem condendi leges pro subditis suis. Vel saltem ipsi lex imponi potest.* — Altera pars est Bartoli in d. l. *De quibus*, § *Secundo loco*, ff. eod. Illud quippe potest communitas per tacitum consensum, quod potest per expressum; neque enim refert suffragio voluntatem suam declarat, an rebus ipsis: ergo, si communitas habet potestatem condendi leges, sive statuta, hoc ipso etiam consuetudinem inducere poterit.

Ultima tandem pars est divi Thomæ 1, 2, quæst. 97, art. 3, ad 3; Suarezii lib. VII, de *Legib.* cap. IX, num. 3; et seqq. et aliorum, qui proinde pro regula ponunt, ab ea communitate posse induci consuetudinem, cui potest

imponi lex; cum lex sit commune præceptum, obligans etiam post mortem legislatoris, atque in perpetuum, sicque non nisi communitati perfectæ imponi valeat.

113. *Per mulieres nequit induci consuetudo.* — Resp. III. Per mulieres, atque earum usum, non potest introduci consuetudo aliqua. Ita Abbas cap. ult. n. 8. l. t.; Bartolus in l. *Lex est*, num. ult. et ibi Jason num. 14, ff. *de Legib.* citans alios. Desumitur hoc imprimis ex c. t. l. *Lex est*, ff. eod. ubi dicitur: « Lex est commune præceptum, virorum prudentum consultum: » atqui consuetudo est jus commune, ac lex non scripta; ergo hæc, non nisi per viros introduci potest, et consequenter non per merum usum mulierum: quia, ut loquitur cit. Bartolus, lex et consuetudo æquipollent, l. *De quibus*, ff. *de Legib.* sicque valet argumentum, ab uno ad aliud. Accedit textus expressus in l. *Fæminæ*, 2, ff. *de Reg. jur.* ubi generaliter dicitur: « Fæminæ ab omnibus officiis civilibus et publicis remotæ sunt. »

114. *Moniales, an obligentur ex consuetudine ad recitandum Breviarium?* — Ex quo proinde infert Gobat, tract. V *Theolog. experiment.*, num. 570, moniales non obligari ex ulla consuetudine ad recitandum Breviarium: quia a monialibus, utpote fæminis, non potest introduci consuetudo obligans sub mortali, ut docet Decius in reg. 2, ff. *de Reg. jur.*, numer. 37, cum aliis. Verum hoc intelligendum esse seclusa approbatione superioris, recte notavit Bassæus §. *Consuetudo*, n. 6, et Bonacina disp. ff. *de Legib.* quæst. 1, punct. ult. § 3, n. 15, post Bartolum l. II, c. *Quæ sit longa consuet.*; Suarez, cit. cap. IX, n. 11, et alios: nam accedente superioris approbatione expressa, vel tacita, sicut communitas monialium est capax condendæ alicujus legis, sive statuti novi; ita etiam capax esse dignoscitur introducendæ consuetudinis, quæ vim legis obtineat.

115. *Aut per eam se possunt eximere a legibus?* — Et hac ipsa ratione accedente videlicet consensu superioris, saltem tacito, posse moniales consuetudine a legibus sibi impositis eximere, cum sint capaces leges recipiendæ; post Suarez cit. num. 14, tenet Castro Palæ part. I, tract. III, disp. 3, punct. 3, n. 6. Idemque inquit divi Thomas, cit. quæst. 97, art. 3, ad 3 ubi æquiparat potestatem condendi legem vi consuetudinis et potestatem removendi legem per contrariam consuetudinem.

116. *Ad consuetudinem requiritur aliqua actuum frequentia.* — Quæritur II. An ad inducendam consuetudinem requiratur aliqua frequentia actuum, et quot horum sufficiant? Resp. I. Certum est, ad inducendam consuetudinem, sive contra, sive præter legem, requiri aliquam actuum frequentiam, seu usum sæpius iteratum. Patet hoc tum ex can. 5, dist. 5, ipsaque consuetudinis definitione, qua dicitur esse « Jus quoddam moribus constitutum; » tum ex § *Ex non scripto. Instit. de jure nat. gent. civil.*, ubi ad eam inducendam requiruntur « diuturni mores, consensu utentium comprobati. » Concordat L. 1, C. *Quæ sit longa consuetud.* ibi: « Quæ in oppido frequenter servata sunt, » cum similibus.

117. *An sufficiat unus actus successivus, et continuatus?* — Limitant hoc nonnulli, ut Abbas cap. ult. n. 17, h. t.; Azorius, tom. I, lib. V, cap. xvii, quæst. 9, ac Vallensis § 2, n. 1, h. t. Nisi sit unus actus successivus, et continuatus tempore ad præscribendam consuetudinem requisito: ut si ædificaretur pons in loco publico, ibique toleraretur a populo per tempus ad inducendam consuetudinem sufficiens; aut beneficium sæculare conferatur cuipiam regulari, et ab uno, vel pluribus regularibus rectoribus, continuo, et pacifice gubernetur, donec præscriptio legitima sit completa; ut c. *Cum de beneficio. de Præbend.* in 6, prout exemplificat Abbas ibidem. In tali enim casu (inquiunt) actus ille debito tempore continuatus æquivaleret pluribus actibus, sicque sufficienter declarat tacitum consensum populi pro inducenda consuetudine.

118. *An sufficiat unus actus successivus, et continuatus?* — Verum alii generaliter negant posse unico actu, etiam multum notorio, induci consuetudinem; ut Bartolus l. *De quibus*, n. 11, et ibi Jason n. 51, ff. *de Legib.*; Suarez, d. lib. VII, cap. x; Castro Palao, cit. § 3, n. 3, et 5. Rationem dant, quia consuetudo requirit frequentiam actuum: sed ea, quæ uno actu fiunt, non dicuntur frequenter fieri, ut l. *Ex his*, et l. *Nam ad ea*, ff. eod. Quinimo id foret contra substantiam consuetudinis, et significationem hujus vocabuli. Nec urget (aiunt) exemplum de ponte, ac beneficio sæculari adductum: quia utrumque loquitur non de consuetudine, sed solum de præscriptione domini, sive juris alicujus; quod uno actu perseverante præscribi posse, gratis conceditur, et patet ex cit. c. *Cum de*

beneficio. de Præbend. in 6, ubi expresse est mentio de præscriptione.

119. *An sufficiat unus actus successivus, et continuatus?* — Sciendum tamen, quod Bartolus, et Jason, ubi supra, loquantur de uno actu notorio, non autem de uno actu successive continuato: unde, quia talis æquipollet pluribus, simulque ex eo sufficienter colligi possit tacitus communitatis consensus, non illico rejicienda videtur memorata limitatio Abbatis, et aliorum.

120. *Vel saltem ad eam inducendam sufficiant duo actus?* — Resp. II. Quamvis non pauci doctores velint duos saltem actus requiri, eosque sufficere ad inducendam tempore debito consuetudinem: melius tamen dicitur, in dubio, hoc totum arbitrio judicis esse relinquendum, qui juxta rerum et factorum diversitatem pensabit, quot actus sint necessarii, ac sufficientes ad ostendendum tale quid fuisse factum frequenter, ipsamque consuetudinem dici posse confirmatam.

121. *Suadet pars affirmativa.* — Priorem partem tenet Glossa, in c. *Venerabilem*, §. *Ex successione, de Election.* Abbas, cit. cap. ult., n. 17, h. t.; Baldus, in l. I, n. 2, c. *Quæ sit longa consuetud.*, et plures alii. Ratio hujus afferri solet: quia generaliter duo actus sufficere solent, quoties aliunde numerus eorum in jure non reperitur esse determinatus: nam ut habet reg. 40, juris in 6: « Pluralis locutio duorum numero est contenta. » Concordat, can. *Ita nos*, 25, q. 2, et L. *Nemo deinceps, c. de Episcop. audient.*, ubi Glossa fin. inquit: « Nota, quod duæ vicēs consuetudinem faciunt. » Et quod consuetudo judicialis inducatur per duas sententias conformiter latas intra decem annos, expresse docet Glossa un., in l. *Diuturno*, ff. *de Legib.*, et sequitur Zasius, eod. tit., n. 7. Nam, ut inquit Bartolus, l. *De quibus*, § *Item quero*, ff. *de Legib.*, cum judex auctoritate populi sit præpositus, quod facit judex, totus populus facere videtur, juxta illud: « Omnia nostra facimus, quibus auctoritatem impertimur, » L. 1, § *Omnia*, c. *de Veteri jure enucleand.*

122. *Melius tamen in dubio istud relinquitur arbitrio judicis.* — Posterior vero pars est Jasonis, cit. num. 51; Menochii, *de Arbitrar. judic.*, cas. 81, n. 4, qui hanc opinionem appellat veriore; Vallensis, h. t., § 2, n. 2; Engel., eod., n. 8, et aliorum plurimorum. Ratio est, quia ad consuetudinem inducendam requiruntur tot actus, ut ex illis suffi-

cienter possit desumi, et colligi consensus populi, sive majoris partis communitatis: atqui hoc non semper potest colligi ex duobus actibus; quia forte per errorem, ignorantiam, aut vitandi scandali causa, non statim populus contradixit, aut aliud impedimentum intervenit. Et consequenter in dubio, istud totum est relinquendum arbitrio judicis, qui in casibus particularibus cuncta perpendendo atque rimando dijudicabit, an id, de quo controvertitur, fuerit frequenter longo tempore observatum; sicque consuetudo ipsa possit dici confirmata, atque præscripta, nec ne, arg. l. 1, ff. *de Jure deliberand.*

123. *Solvuntur rationes in oppositum.* — Nec obstant jura, num. 121, allegata. Nam, quod attinet ad reg. 40 juris, in 6, ea non urget: quia impræsentiarum non simpliciter requiruntur plures actus, sed tot actus frequentati, ut ex illis possit sufficienter colligi consensus populi, seu majoris partis communitatis, de inducenda consuetudine. In hoc autem dijudicando recurrendum est ad arbitrium prudentis judicis.

124. *In criminibus duo actus inducunt consuetudinem: et quomodo?* — Ad can. *Ita nos*, 25, q. 2, et cit. *Nemo deinceps, C. de Episc. audient.*, dicitur, ibi sermonem esse de criminibus. De his enim loquendo, geminatio actus criminis vocatur *consuetudo*, non quidem sumendo consuetudinem pro ea, quæ ad legem inducendam, vel abrogandam sufficiat (talis enim non habet locum in criminibus, ac nutritivis peccati) sed accipiendo consuetudinem improprie, seu pro assuefactione criminis, quæ sufficiat ad graviolem ejus punitionem. Castro Palao, cit. disp. 3, § 3, n. 5, post Bartolum, in l. II, c. *Quæ sit longa consuetud.*; Suarez, d. lib. VII, cap. x, n. 3; Bonacina, disp. 1, q. 1, punct. ult., num. 32.

125. *Ad consuetudinem requiruntur actus voluntarii.* — Quæritur III. Quales actus requirantur ad inducendam consuetudinem? Resp. I. Certum est ad consuetudinem requiri actus voluntarios illos, per quos ipsa inducitur. Alioquin enim deficeret causa efficiens consuetudinis, quæ est consensus populi, rebus ipsis, et factis demonstrandus, d. l. *De quibus*, ff. *de Legib.*

126. *Consuetudo debet induci ex certa scientia, et non per errorem; idque exemplificatur.* — Unde inferitur primo cum Glossa, fin. cap. ult., h. t., et Abbate, ibid., n. 12, et aliis passim, quod consuetudo debeat induci ex certa scientia, et non per ignorantiam, seu

errorem; alioquin enim, si error contingeret circa substantiam actus, vel ipsius consuetudinis, hæc vires firmas nunquam obtineret. Siquidem nihil magis voluntati est contrarium quam ignorantia, et error: quia errantis nullus est consensus, l. *Non idcirco, C. de Juris et facti ignorant.* Hinc, si populus ex errore per decem annos observaret diem festum, vel jejunium, putans se aliqua lege ad hoc teneri, non per hoc induceretur consuetudo præter jus: et similiter, si longo tempore eliceret actus contrarios legi, quam ignoraret esse positam, non præscriberet contra legem. Castro Palao, cit. disp. 3, § 3, n. 11. Haunoldus, tom. I, *de Justit. et jur.*, tract. I, disp. 3, n. 140, et alii. Ratio est, quæ supra.

127. *Neque per actus vi, aut ex metu gravi elicitos.* — Inferitur ulterius, quod si vi, aut per metum gravem, obligetur populus ad exercendum actum quempiam longo tempore, non idcirco censeatur præstare concensum requisitum ad introducendam consuetudinem; quin potius per hoc ostenditur actum sibi esse onerosum: ac proinde consuetudo præter jus, sive novi juris inductiva, non oritur. Suarez, lib. VII, cap. XII, n. 40; Castro Palao, cit. n. 11, et alii.

128. *Actus ad consuetudinem requisiti debent esse uniformes.* — Resp. II. Insuper actus illi debent esse uniformes, hoc est, eadem ratione a majori parte communitatis observati, et practicati. Si enim modo hoc, modo illud fuerit observatum, remanet dubium quid populus servare voluerit; ac proinde consuetudo non inducitur. Glossa, l. *Cum consuetudine*, ff. *de Legib.*; Vallensis, h. t., § 2, n. 5, et communis.

129. *Publiceque frequentati quasi ex obligatione.* — Resp. III. Actus illi debent etiam esse publice frequentati quasi ex obligatione, seu animo (saltem interpretativo) inducendi consuetudinem, præter legem, sive obligatoriam. Ita Glossa notabilis, can. *Consuetudo*, dist. 1, §. *Institutum*; Abbas, cit. cap. ult., n. 17, h. t., et alii passim. Ratio est: quia actibus meræ et liberæ facultatis non inducitur consuetudo præter legem, arg. l. 2, ff. *de Via publica*, et c. *Abbate, de Verb. signif.* Et hac de causa devota praxis fidelium Missam diebus ferialibus audiendi, sæpius per annum confitendi, statis horis ad sonum campanæ beatissimam Virginem salutandi, in ingressu templi frontem aqua lastrali aspergendi, et hujusmodi novum jus, seu consuetudinem obligatoriam, sub peccato non

inducit: quia videlicet hæc, et similes consuetudines ex liberali tantum affectu, et devotione, non vero ex ulla inducendæ obligationis voluntate inchoatæ sunt, et continuantur; ac proinde sunt actus meræ facultatis.

130. *Actus meræ facultatis, qui? In dubio quid dicendum?* — Ubi supponendum, quod per *Actus meræ facultatis* intelligantur illi, qui nullam juris, ne putativam quidem obligationem, aut necessitatem habent, sed pro cujuslibet arbitrio fieri, vel omitti possunt. Engel., h. t., n. 9. In dubio autem, an consuetudo ex devotione dumtaxat, vel animo se obligandi fuerit introducta; præsumendum est consuetudinem potius esse devotionis, quam obligationis, sicque continere actus meræ facultatis, arg. 1, *Arrianus*, ff. de *Actionib. et obligat.*, cum similibus; ac notat Mastrius, disp. 2, *Theolog. moral.*, n. 204.

131. *Actus illi debent esse frequentati a majori parte communitatis.* — Resp. IV. Requiritur insuper, quod actus illi fuerint frequentati a majori parte populi, seu communitatis; sive quod major pars populi usa fuerit tali consuetudine. Ita Glossa, fin., cit. cap. ult., h. t., estque communis. Ratio est: quia, sicut minor pars non potest inducere legem, ita nec consuetudinem: nam generale est, quod in universitatibus semper prævaleat id, quod fit a majori parte; atque in istud tota communitas consentire censeatur, nisi quid rationabiliter ab aliis fuerit objectum, atque ostensum; ut cap. 1, *De his quæ fiunt a majori parte capit.*, etc. *Quia propter*, 42, et c. *Ecclesia vestra*, 48, de *Elect.*, et l. *Quod major*, ff. ad *Municipalem*, cum concordantiis.

132. *In hac non computantur mulieres, parvuli, ac furiosi.* — Recte tamen notat Abbas sæpe cit. cap. ult., n. 18, h. t., istud intelligendum esse de majori parte populi habilis ad introducendam legem, vel consuetudinem: quia mulieres, parvuli, ac furiosi, non computantur in numero, cum non sint habiles ad condendam legem, ut l. 1, ff. de *Legib.* Insuper dicta procedunt de consuetudine generali, sive totius populi: nam loquendo de consuetudine speciali, v. g. alicujus collegii sufficit major pars istius collegii.

133. *Consuetudo non debet fuisse interrupta.* — Quæritur IV. Utrum consuetudo debeat esse non interrupta; et qua ratione interruptatur? Resp. I. Ad consuetudinem vel maxime requiritur, quod ea ante completum legitimum tempus non fuerit interrupta. Ita communis: et ratio est clara, quia alioquin

non esset, nec dici posset legitimo præscripta, contra, cap. ult., h. t., cum concordantiis.

134. *Et quibus modis censeatur interrupti.* — Resp. II. Censeatur consuetudo interrupti, quando vel populus ex certa scientia exerceat actum contrarium, etiam unicum, arg. c. *Sollicitudinem*, 24, § fin., de *Appellat.*, et l. *Ubi repugnantia*, ff. de *Reg. jur.*, ac notat Glossa, fin., in l. *Nemo alieno*, ff. eod. Abbas, loc. cit., n. 19, vel quando superior transgressores suæ legis punit, aut in tribunali pro lege sua contra consuetudinem judicat. Hac enim ratione consuetudo expresse revocaretur per superiorem: tacite vero, quando ex certa scientia populus exerceat actum contrarium, quia hoc ipso ostenderet se nolle amplius consuetudinem inceptam continuare. Et tunc post hujusmodi interruptionem, erit de novo inchoanda consuetudo: alioquin non valebit.

135. *Consuetudo jam completa non revocatur per unicum actum contrarium. Secus, si est primum in fieri.* — Quod si autem post lapsum legitimi temporis consuetudo jam fuerit completa, et firmata, tunc ea per unicum actum populi contravenientis non revocatur: sed vel opus est lege superioris, consuetudinem illam expresse derogantis; vel nova contraria consuetudine eam temporis diuturnitate, aliisque requisitis. Glossa, fin., in d. l. *Nemo alieno*, ff. de *Reg. jur.*, Abbas, ubi supra, n. 19; Felinus, c. *Cum accessissent*, n. 30, de *Constit.*, citans quam plures alios; Suarez, lib. VII, de *Legib.*, cap. xx, n. 20; Layman, lib. I, tract. IV, cap. xxiv, n. 14, et alii. Ratio est: quia consuetudo rite jam præscripta induxit novum jus, cum habeat vim legis: atque huic non derogatur, nisi vel per expressam principis revocationem, vel per contrariam consuetudinem rite præscriptam; ergo.

136. *Ad inducendam consuetudinem an requiratur scientia, et consensus principis? Sententia affirmativa fundamentum.* — Quæritur V. An ad inducendam consuetudinem requiratur scientia, et consensus principis potentis legem condere? Affirmat Glossa, fin., in cap. ult., h. t.; Federicus de Senis consil. 17, n. 3, vers. *Præterea consuetudines*, asserens, quod consuetudo contra legem non valeat, nisi sit inducta ex certa scientia ejus, qui illam legem posset expresse tollere in illo loco; atque pro hac sua sententia allegans Bernardum, in cap. ult., h. t., et Innocent.

ac Compostell., *super Rubr.*, eod.; Sperellus, decis. 133 *Fori Ecclesiastici*, num. 22, post. Rotam in Trevisens. Abbatia S. Maximini, 24 junii 1523, coram Coccino; Fagnanus, c. *Utrum autem*, n. 18, de *Cognat. spirit.*, citans Rotam in Romana, *Concordie sancti Petri*, coram card. Cavalerio, et alios complures. Rationem dant, quia consuetudo est species juris, habetque vim legis; ergo aliter, quam cum scientia et auctoritate ejus, qui potest legem condere, nequit introduci: ac multo minus poterit per eam prior lex tolli, cum inferior non possit tollere legem superioris absque ejusdem scientia, et consensu. Clem., *Ne Romani*, § 1, de *Election.*, cum similibus.

137. *Sed impugnatur.* — Verum hæc sententia, nisi melius explicetur, graves patitur instantias. Nam imprimis, cap. ult., h. t., plus non requiritur ad consuetudinem contra legem, seu quæ juri positivo præjudicium generet, quam « si ea sit rationabilis, et legitime præscripta: » præscriptio autem currit etiam contra ignorantes. Deinde, in cap. 1, de *Constitut.*, in 6, dicitur « Romanus Pontifex locorum specialium consuetudines probabiliter ignorare, » et tamen dictæ consuetudines validæ censentur; ergo ad eas scientia principis non requiritur. Unde pro resolutione hujus questionis,

138. *Triplex consensus principis potest hic distingui, nimirum expressus, tacitus, et legalis.* — Advertendum est, quod tribus modis princeps in consuetudinem consentire intelligi possit, videlicet *expresse*, *tacite*, aut *legaliter*; atque juxta hoc triplex ejus consensus distingui valeat. Consensus *expressus* intervenit, quando princeps expresse, seu clare consentit in talem consuetudinem, dando licentiam ad eam introducendam, vel ipsam approbando. Consensus *tacitus* dicitur, quando princeps scit talem consuetudinem, et dissimulat, seu non contradicit, cum commode contradicere posset: sic enim, dum tacet, consentire videtur. Consensus *legalis* (qui et generalis, ac juridicus appellatur) est ille, qui datur per legem, sive per jus ipsum, quatenus legislatores per publicam legis auctoritatem consentiunt in omnes consuetudines rationabiles, ac legitime præscriptas, easque firmas esse, vimque legis habere volunt; ut cap. ult., h. t., et l. 1 et seqq., c. *Quæ sit longa consuetud.*, cum similibus. Atque ideo consensum hunc alio nomine vocant *generalem*, eo quod per publicam legem

præstetur generaliter pro omnibus consuetudinibus rationabilibus, et rite præscriptis; at vero duplicem priorem consensum appellant *specialem*, eo quod pro hac vel illa determinata consuetudine in specie detur, dum in eam princeps, vel expresse, vel saltem tacite consentit. Hoc prænotato,

139. *Ad consuetudinem sufficit consensus legalis, seu juridicus principis.* — Resp. I. Ad consuetudinem cæteroquin rationabilem, præter vel contra legem inducendam, requiritur quidem aliquis consensus, et scientia principis: tamen consensus ille non necessario debet esse expressus, sed sufficit tacitus, imo et juridicus seu generalis per legem datus. Ita Glossa, can. *In istis*, § *Leges*, v. *Abrogare*, dist. 4, ex professo rejiciens sententiam illorum, qui ad consuetudinem inducendam contra legem requirunt expressum consensum principis. Abbas, cap. ult., n. 13, h. t.; Engel., eod., n. 19; Sannig, h. t., cap. v, n. 2; Pirhing, eod., n. 15 et 16, hanc appellans communem sententiam jurisperitorum: quam etiam sequuntur theologi, ut Suarez, lib. VII, de *Legibus*, cap. XIII; Sanchez, lib. VII, de *Matrimonio*, disp. 4, n. 11; Layman, lib. I, tract. IV, cap. xxiv, n. 2, et tacendo alios Barthol. Mastrius, disp. 2, *Theolog. moral.*, n. 201, asserens hoc totum esse de mente Scoti, in 3, dist. 29, q. un. Ratio conclusionis est, quia ex una parte requiri aliquem consensum, et consequenter etiam scientiam principis de consuetudine inducenda, probant dicta, n. 136. Ex altera vero parte non semper requiri scientiam specialem ipsius, neque consensum expressum principis in eam, convincunt jura, n. 137, allegata. Confirmatur: quia, quando adest consensus expressus principis super consuetudine contraria legi, non est opus præscriptione; cum ipso facto princeps revocet legem suam. Similiter, quando intervenit consensus tacitus, seu tolerantia principis, scientis suam legem non servari, et tamen non prohibentis, nec punientis transgressores, cum posset: rursus opus non est, ut abrogetur lex per contrariam consuetudinem, « et via præscriptionis; » cum jam censeatur tolli per tacitam principis revocationem, « seu via conniventia, » prout explicatum fuit supra, n. 93 et seqq.

140. *Qui et requiritur. Consuetudo sumit vires suas, non a subditis, sed ab auctoritate legislatoris.* — Requiritur autem consensum principis juridicum, seu per legem generaliter